



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 135. An & qualiter peccent impuberes contrahendo sponsalia de præsentate seu Matrimonium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

*Quest. 134. An & qualiter peccent impuberes contrahendo Sponsalia de futuro ante septennium vel ante perfectum usum rationis.*

**R**esp. Nullum, aut certe levissimum committi ab iis peccatum. Sanch. l. 1. d. 17. num. 4. Gutt. cit. c. 2. num. 14. Ponc. l. 12. c. 5. num. 4. Coninck. du. 21. du. 5. in fine; quos citat & sequitur Castrop. num. 11. contra Nav. in man. c. 22. n. 12. Sylv. v. matrimonium. 5. n. 6. Rosell. Per. Ledesm. &c. docentes peccare graviter contrahentes ante legitimam aetatem, si exinde Sponsalia sint invalida; imprimis enim si contrahant ante perfectum usum rationis, patet, non committi peccatum mortale; cum contrahentes ex eodem capite non sint capaces culpæ mortalis. Si verò pollentes perfecto usu rationis contrahant ante septennium, secundum sententiam probabilem sunt Sponsalia valida, ac proinde non peccant. Si tamen sint invalida, adhuc non peccant graviter; nulla enim irrogatur irreverentia Sacramento; cum Sponsalia non sint Sacramentum; in nullus etiam id procedit præjudicium; cum neuter contrahentium vi illorum obligetur; ad summum itaque tanquam actus otiosus & inutilis erit peccatum veniale. Neque his obstat c. 2. h. t. ubi dicitur: *Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad aetatem à Canonibus determinatam non pervenerint, conjungantur, nisi forte urgentissima necessitate aliqua interveniente*; loquitur enim de matrimonio, non de Sponsalibus, ut colligitur ex verbo illo *conjungantur* quod conjunctionem matrimonialem denotat; Sponsalia siquidem non sunt conjunctio Sponsorum, sed conjunctionis promissio, ita Castrop. cit. n. 11.

*Quest. 135. An & qualiter peccent impuberes contrahendo Sponsalia de presente seu matrimonium.*

**R**esp. Impuberes contrahentes matrimonium per verba de præsentem, malitia non supplete aetatem peccare mortaliter negant Sanch. l. 1. d. 17. n. 6. Ponc. l. 12. c. 5. n. 4. eo quod cum ille contractus non sit matrimonium, sed tantum habeat rationem Sponsalium, nulla fiat irreverentia Sacramento. E contra si id fiat sine urgentissima causa esse peccatum grave, censet Castrop. cit. p. 6. num. 13. eo quod manifestè id prohibeatur, c. 2. h. t. quod loquitur de conjunctione matrimoniali, non verò de conjunctione matrimoniali, non verò de conjunctione per copulam, in quam conari talibus non posse sine peccato gravi, admittit Sanch. Item quod talestamenti sola Sponsalia contrahant, quantum tamen est in ipsis, matrimonium, ad quod contrahendum sunt impediti, contrahere intendant; attentare autem efficere Sacramentum nullum, gravis sit irreverentia irrogata religioni. Textus verò in contrarium adduci solent, si bene expendantur, non tam talem contractum matrimonialem permittant, quam solum factum narent, declarentque matrimonium non esse, sed Sponsalia, & nullatenus affirmant aut indicent, talem contrahendi modum esse licitum, quod ipsum tamen si indicarent, explicandum esse, ait Castrop. quod id liceret stante urgentissima causa ab Ordinario approbanda (utpote quæ irreverentiam illam, quæ est in contrahendo matrimonio forte nullo excusat) & habita probabilitate de aptitudine talium impuberum ad generandum, quæ seclusa, nulla esse potest

R. P. Lenr. Jur. Can. Lib. IV,

causa exigens contractum per verba de præsentem, vel etiam honestant conamen illud in copulam, ut illud permitti posse ex urgentissima causa, dum dubium est de valore matrimonii, uti est, dum dubitatur de potentia generativa, docet Sanch. l. c.

*Quest. 136. An & qualiter Sponsalia contracta ante septennium eo adveniente ratificentur.*

**R**esp. Ratificantur ex mutua cohabitatione, Castrop. l. c. num. 10. juxta c. ult. h. t. in 6. deficiente verò illa cohabitatione, ratificari debent verbo vel facto, quibus se tanquam Sponsos gerant. Ad hanc tamen ratificationem requiritur, ut ipsi Sponsi sciant Sponsalia ante septennium nulla esse, & velint ea rata habere; siquidem stante ignorantia ratificationem locum non habet, Castrop. l. c. Sanch. l. 1. d. 16. n. 8. & 9. Gutt. de mat. c. 2. n. 13. Ponc. l. c. c. 5. n. 5.

*Quest. 137. Quæ aetas requiratur ad Sponsalia de presente, seu ad matrimonium validè ac licitè contrahendum.*

1. **R**esp. primò: Jure naturæ nulla determinata aetas requiritur ad hoc, sed ea est sufficiens, in qua perfectus usus rationis adest; ea siquidem sufficit, ut contrahens se obligare possit ad copulam mediâ potentia successu temporis habendam. Sanch. l. 7. d. 104. n. 11. Castrop. de Sponsal. d. 4. p. 14. s. 4. num. 1. Laym. l. c. tr. 10. p. 4. c. 12. num. 1. cum communi.

2. **R**esp. secundò: Aetas jure ecclesiastico seu secundum Canones, uti & secundum leges, est pubertas, eaque completa, nimirum in masculo 14. in femina 12. annorum completorum, ut constat ex c. ubi non est. c. puberes. c. continebatur. c. attestaciones. b. l. l. minorum. ff. de ritu nupt. Covar. in epitom. l. 4. p. 2. c. 5. n. 3. Fagn. in c. 2. h. t. ubi etiam n. 11. rationem dat, quare conjunctio matrimonialis ante dictos annos à Canonibus ita prohibeatur, nimirum, quòd cum minores apti sunt ad matrimonium, obligantur ex contractu matrimoniali; plerumque autem incertum sit, num sint apti supplete nimirum malitiâ aetatem, idque ex habitu corporis aliisve signis difficulter cognosci valeat, hinc frequenter fiat, ut alter conjugum penitentia ductus prætextu invaliditatis resiliat à matrimonio, & cum alia contrahat. Porro hæc aetatem debere esse completam mathematicè non secus ac aetas ad professionem & sacros Ordines requisita; eo quòd quoties jus aetatem alicui actui præscribit, ea integra esse debeat, & quòd in iis, quæ à jure sunt præscripta, regula illa: *quod parum distat* &c. locum non habeat, sed solum in iis, quæ ab humano pendent arbitrio, tenent Sanch. l. c. in princ. Ponc. l. 7. c. 65. n. 1. Castrop. l. c. contra Rebell. l. 3. q. 16. s. 2. & alios censentes, sufficere esse completam moraliter. V. G. 10. vel 20. diebus deficientibus.

Limitatur tamen responsio ita, ut proximi puberati, discretionem & potentiam coeundi pollentes, validè & licitè, tam in foro externo quam conscientie contrahere possint matrimonium. Castrop. l. c. num. 2. Sanch. n. 21. Ponc. l. c. Covar. n. 2. Pirh. h. t. n. 35. juxta c. continebatur & c. de illis. b. t. siquidem in matrimonio contrahendo non debet spectari tempus annorum, sed an contrahentes sint ejus discretionis, ut se obligare, generare, concipere possint. Pirh. l. c. gl. in c. puberes. h. t. Talibus autem

K

contra-